



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

9. Ex Sancto Thoma ab aduersariis opposita eleuantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

ibi Augustinus contra eandem responsionem Pelagianorum (rectius diceret à se quarto loco excogitatam pro Vincentio, quem confutabat) & multis probat, peccata non commissa à Deo non puniri: & sic probat præscientiam exinaniri, si, quod præscitur, non erit: scilicet secundum vim, & rationem præscientiæ absolute, qualis requiritur ad puniendum, & iudicandum. Talis enim præscientia debet esse de rebus de facto futuris.)

10. Instant Discalceati Carmelitani; apud Augustinum, idem esse contingens tantummodo præscitum, ac non prædestinatum, atque contingens ex propriis viribus habitum: ergo idem apud Augustinum est contingens conditionatum, præscitum solum, ac non actu prædestinatum atque conditionatum ex propriis viribus sub conditione habitum, siue sub conditione habendum, si ea apponeretur. Antecedens est Augustini c. 9. de dono perseverantiae, & ex q. Prosperi ad Augustinum: quam ad ipsum propositam Carmelitani, & Ioannes etiam à S. Thom. d. 20. qu. 33. a. 3. pag. 638. contra scientiam conditionatorum interpretantur: Prosperi verba sunt: *utrum præscientia Dei, ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa, qua sunt proposita sint accipienda præscita? an per genera causarum, & species personarum ista varientur? ut, quia diversa sunt vocationes, in iis, qui nihil operantur saluantur (parulis) quasi solum Dei propositum videatur existere: (quia scilicet conditionata opera eorumque præscientia ad propositum Dei de eorum absoluta salute incepta sunt) in iis autem (adultis) qui aliquid boni acturi sunt (viribus scilicet propriis) per præscientiam possit stare propositum? an vero uniformiter, licet præscientia à proposito diuini temporali distinctione non possit: præscientia tamen quodam ordine sit submixta proposito? & sic ut nihil sit, quod minusque negatiuam, quod non scientia diuina præuenit: ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo autore defluat?* sed certe Augustinus, & Prosperi plane de absoluta præscientia, & omnino absoluto proposito loquuntur: id enim, & ea verba absolute, ac sine addito dicta sonant: ex antecedenti vero illo de futuro opere, & præscientia eius conditionata sine decreto absoluto, ne illud ex propriis viribus sit, ut illud intellexit Augustinus, solum inferitur fore conditionate ex propriis viribus; si prædestinatio Dei cum reliquis operis principii essentialibus in hypothese, & pro conditione illius non poneretur; non autem, si actuale, & absolutum decretum ex parte obiecti conditionatum (quod nusquam prædestinationis nomine Augustinus intellexit, imo neque de eo cogitauit, ut vidimus supra) non apponatur uti male ex eo antecedenti inferebant aduersarii.

11. Est quæstio illa Prosperi, cuiusque resolutio, quoad bona opera, & honesta ab Augustino, Prospero, & reliquis Patribus contra Pelagianos, & Semipelagianos fuit, nihil à Deo præscitum esse, quod non fuerit à Deo gratuito donante, cuiusque gratia, ac subinde prædestinatum. Dixi, quoad bona opera & honesta: nam prava præscita à Deo, ac non prædestinata, subindeque Dei præscientiam, latius prædestinatione patere concors Patrum sententia est, ut d. sequenti ex ipsis statuemus: id quod factis est, ut omnia aduersariorum in re præsentia argumenta regeremus; si prædestinationis nomine contra Patrum mentem decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, iuxta aduersariorum sinistram interpretationem, etiam intelligeremus: inde enim constaret conditionatam futuritionem prauorum actuum absque actuali Dei decreto consistere contra aduersarios: atque idem de conditionata bonarum actionum futuritione contra eosdem inferretur. His tamen omisissis quæstio illa Prosperi, cuiusque, & Augustini, ac reliquorum Patrum resolutio de anterioris ad futuritionem bonorum operum, atque eorum præscientiam prædestinationis actualis necessitate, de absolutis operibus, atque omnino absoluta præscientia, & prædestinatione est: non autem de conditionatis. Primo: quia id præscientia, & prædestinationis, seu propositi voces simpliciter, & absolute, ac sine addito dicta significant. Secundo: quia ad scientiam, & propositum conditionatum ex parte obiecti ea paruulorum ab adultis diuisio inutilis erat; cum in utriusque aequa esse debeat operum conditionatorum præscientia, & prædestinationis, seu propositi ratio. Tercio: quia inepte dubitaret Prosperi, an in paruulis solum Dei propositum mane-

ret? cum in eis præscientiam operum sub conditione futurorum certissime cognosceret, nemoque de ea dubitet. Quarto: quia propositum in horum Patrum phrasi est, quo nemo impediri potest (possibilitate consequenti) à consecutione salutis, & perire, ut itatim Prosperi subdit: quodque omnino abest ab eis, qui pereunt; cum tamen eiusmodi non sit decretum futuritionis conditionate, sed solum omnino absolutum de futuritione absoluta: ut patet in Tyrii conditionate penitentibus ex illo alio, (ut aduersarii volunt) decreto. Sed arguit ex his Patrum locis argumento, ut ille putat conuincenti, Ioan. à S. Thom. pag. 642. ut autem ego video, tortuoso, & implexo, cuiusque filium ægre sequi possumus, ni illud sic instruamus: *quidquid Deus se daturum præscit absolute, & actu prædestinauit ex Augustino & Patribus: nisi præscit se daturum Tyrii conditionatam penitentiam: ergo ex Augustino, & Patribus eam absolute, & actu prædestinauit.* Ceterum maior de præscientia absoluta vera, & Augustiniana est: ideo enim Augustinus recitat locis cert. 7. n. 6. à med. præscientiam cum prædestinatione confundebat, confundique sæpe aiebat à diuini verbi tractatoribus, ut præscientie nomine prædestinationem intelligerent, si agitur (inquit ille) de vocatione electorum: quales solum conditionate conuertendi, saluandique minime sunt, ut patet in Tyrii & Sydonii: si autem ita eam vltuper conuincens iste syllogismus quatuor terminis consistat; dum in minori scientiam conditionatam assumit: si autem maiori scientia eius, quod Deus daturus siue conditionate, siue absolute intelligatur, falsa omnino: nec Augustiniana propositio est: imo ipsa conclusio, quam negamus, & (nouo conuincendi genere) conclusio pro eius probatione, & demonstratione assumitur.

CERTAMEN IX.

Ex sancto Thoma ab aduersariis opposita eleuantur.

1. Non maiori defectu plura S. Thom. loca expont Ioann. de S. Thom. de suo, & ex antiquioribus ipso Thomistis Recentioribus d. 20. qu. 14. a. 4. pag. 646. Primum ex 3. p. q. 1. a. 3. vbi ait, & approbat Augustinum c. vtroque 6. de dono perseverantiae, & prædestin. sanctorum, retractasse responsionem illam ad quæstionem Paganorum, sæpe à nobis memoratam: quare, quasi ex vtroque sancto inquit Ioann. à S. Thom. *Vnde totum hoc non ad præscientiam illam futuri eventus, & decretum dicit ex Augustino Thomæ, sed ad diuinam prædestinationem esse referendum.* Bis Augustini, quare & S. Tho. mentem fati fuisse expendimus, & pro nostra sententia de futuritione conditionata, cuiusque scientia contingentis, absque, & independentem ab actuali Dei decreto de illa esse monstrauimus. Nunc solum de eius verbis obiectum rogo. An illud totum hoc ad quæstionem Paganorum, cur vni non alteri nationi voluerit Christus apparere? intelligendum sit? ut hæc voluntas Christi ad diuinam prædestinationem omnino referatur ut Augustinus ait, & Thomas? quod si ita intelligatur: quid inde, vel pro, vel contra decretum actuale de futuritione conditionata ad hanc, eiusque scientiam statuendam? si autem *utrum hoc scientiam conditionatam fidei futura sub conditione, significet ad prædestinationem esse referendum*: neque in his Patribus fundamentum habet: imo voci prædestinationis, quæ non, nisi circa absolute futura, est, & dicitur, sicuti & rationi aduersatur. Ac denique, si totum hoc, neque ad præscientiam, neque ad decretum per te referendum esse dicit ex Augustino Thomæ: equid ais eos itare pro tuo decreto subiectus absoluto, & obiectus conditionato? secundum testimonium arripuit ex Catena S. Thom. in Martham, vbi præferre dicit Augustini sententiam: verum neque illo libro aliquid ex propria sententia dicit S. Thom. neque alicuius præter sententiam, sed alias alijs Catena in modum adnectit. Nec si eo loco Augustini sententiam prætulisset, quidquam pro necessitate decreti, siue ad futuritionem conditionatam, siue ad eius

scientiam

scientiam ex sententia Augustini afferri, inferius posset.

2. Tertium testimonium inducit ex qu. 6. de veritate a. 4. in cuius argumento 4. contra prædeterminationis ibi asserendam certitudinem opponit: prædeterminationem esse debere cum suppositione causæ secundæ, creatæ scilicet voluntatis: quare solum posse habere certitudinem conditionalem, quod saluabitur, si preparaveris se, sicut causatio fructus in planta non absolute, sed conditionaliter est certa: si nimirum eius virtus generativa adsit bene disposita. Respondet autem: Ad 4. dicendum: quod causa secundæ, quam oportet supponere ad inducendum prædeterminationis effectum, etiam ordini prædeterminationis subiacet; non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicuius virtutis agentis: Et ideo ordo divina prædeterminationis, quamvis cum suppositione voluntatis humana; nihilominus absolutam habet certitudinem; est in exemplo adducto contrarius apparet. His aliam scientie medix ingulationem proclamat Ioan. à S. Thom. est autem, ut dixi alia, Sacramentalis etiam; et incuncta: in primis enim sermo est de certitudine, cum obiectiva futuri- tions absolutæ salutis, & fructus, tum formalis absolutæ scientiæ, qua viraque cognoscitur; unde hæc solum negabitur; non autem præscientiæ, & futuritio conditionatæ, ane absolutam omnino prædeterminationem, à qua eius, tum obiectivam, quam formalem certitudinem obiectans, & adversarij reliqui admittunt. Secundo: certitudo hæc obiectiva conditionalis non est contingentis futuri nostri formaliter, sed salutis, & salutatis à Deo donandæ, & à prædestinato non libere formaliter, & in se recipiendæ, sed solum præsuppositivæ in meritis, quæ supponit: ex necessitate vero decreti actualis cuiusvis ad ea, quæ Deus daturus est ad ea, quæ nos voluntate, libertate, & electione nostra sumus acturi, nulla est consequentia, antecedenti etiam admissio: quia cum decreto salutis suam Deus exerceret libertatem, quam nos præmissis decreto actionis nostre pro quovis statu, pro illo in eius scientia exercere non possumus. Tertio verbis ipsis obiectis discrimen assignat S. Thom. cur effectus prædeterminationis, scilicet salutatio, certus absolute sit, licet effectus causarum naturalium ex illis solum, nec certus absolute sit; neque omnino certe absolutam scientiam ex superiori, & universaliiori causâ creata earum haberi queat: quidnam quæso hic de futuri- tione, ac scientia conditionatâ, siue ante, siue post decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti vbi nulla de eis mentio?

3. Sed oporteret ingulatorem hunc articuli eius corpus, vbi solutionibus argumentorum doctrina parabatur arcentius legisse, ne eo ipso testimonio ex ingulante, vichima foret: etenim corpore articuli absolutam prædeterminationis etiam ex operibus liberis, & in nobis supponit certitudinem his verbis statuit; licet arbitrium possit a se fieri absolute à salute stare tamen in eo, quem Deus prædestinat: quia tot alia adminicula preparat, quod, vel non cadat, vel, si cadat, quod resurgat; sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem; si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem, sed contingentiam; respectu autem causæ primæ, quæ est prædestinatio, habet certitudinem. Id quo explicat S. Doctor exemplo defectibilitatis individuorum cuiusvis speciei subalternis, & indefectibilitatis speciei ipsius: quia corruptio individuorum cuiusvis speciei, & perit, si autem prædestinatio sit in decreto futuri- tions, siue absolutæ, siue conditionatæ, actuali & absoluto ex parte actus, ut obiectans contendit: quidnam ager multitudo illa causarum defectibilium, & altera alterius defectum supplet, ad modum, quo ad speciei conservationem individuum succedens decedenti substituitur: quid item agent orationes, exhortationes, & dona Dei gratiæ? quæ omnia, eo admissio decreto necessario ad effectus futuri- tions, non superfluum autem: quia tale decretum actuali non requiritur: sed satis est, ut substituente Deo prædestinante, cui voluntas creata prædestinati subditur, ex modis indifferentibus, & defectibilibus de se, illud, quod habitum effectum, si daretur, prænotat, in locum

alterius non habituri, ut non cadat, vel resurgat. Legat insuper hæc S. Thom. ibidem: *Præscientiam Dei non importare universalem habitudinem causæ respectu eorum, quorum est, quam addit prædestinatio*: ac proinde aliquid esse prædictum, quod non prædestinatum; quod siue universali- ter, de præscientia viri- tute futuri, & de viraque futuri- tione absolutæ, & conditionatæ siue de absoluta tantum sit, & adversariorum principio contradicit, & intentum præsens nostrum cunctis, si enim ad absolutam futuri- tione, & præscientiam actuali prædeterminatione opus ex S. Th. non est, multo minus ad conditionatam (quæ causas sui actuales universali- ter non requirit) decreto actuali opus ex S. Thom. erit.

4. Opponitur ex qu. 2. de verit. a. 12. ad 4. dicens: Deum scire aliquod futurum, quod absolute non erit, quatenus scit aliquas causas inclinatæ esse ad illud, sed hinc potius inferitur non scire illud, neque illud fore ex decreto: quo posito non posset non fore. Secundo: sermo est apertus de absoluta futuri- tione non de conditionatâ. Tercio: de effectu causarum naturalium, non de operatione liberarum, & contingentium: quare omni ex parte extra rem pro scientia, & futuri- tione conditionatâ contingentium ex actuali Dei decreto asseritur: nec minus extra rem opponitur S. Thom. quinto ex qu. 12. de veritate art. 10. vbi diuidens, iuxta Hieronymum, Prophetiam, in *comminationis, & præscientiæ, & prædeterminationis*. ad 8. ait: *quod si Prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directe respicit: si est absque comminatione (absolute enim est ita ordinatum) esse in causis, hoc contingat: si autem referatur ad eventum, quem respicit indirecte, sic intelligenda est sub conditione*: in quorum primis verbis est, inquit, absoluta ordinatio, seu decretum; in posteris conditionatum eius obiectum: sed certe ordinatio, qua hic decretum intelligi voluit, causarum esse expresse ibi dicitur non conditionati eventus. Secundo eventus ipse non est actus nobis liber, sed supplicium comminatione inductum, & à Deo infligendum, ni peccator resipiscat: quare extra rem hoc testimonium est, sicut & similia opposita ex 1. p. q. 19. a. 1. ad 2. & ex 1. sentent. d. 46. a. 1. ad 2. vbi de præmissis, & penis à Deo infligendis, licet sub conditione penitentiae, & meritorum, aut demeritorum, & impenitentiae libere ab hominibus apponenda. Sed hæc, & similia disparent; quia sine articuli corpore composita, & opposita in vmbra inanes eunt, atque evanescunt: imo vero assumpto corpore contra opposites armantur, & acerrime pugnant: corpore siquidem eius articuli decimi S. Thom. distinguit ea, quæ à solo Deo sunt, ac proinde prædestinantur, quia in nobis non sunt (ut debent non esse, quæ prædestinantur seu præfinitur à Deo iuxta articulum decimi S. Thom. infligendis, & ea, quæ à causis secundis præsertim liberis, sunt; proinde, licet præfinita sunt, non tamen prædestinata sunt, aut rite dicuntur.

5. Sed virgentius adhuc & apertius è corpore articuli ea testimonia contra eis abutentes, & absolutam eorum decreta ad futuri- tione contingentis, tam absolutam, quam conditionatam earumque præscientiam decerant. Ait enim ibi S. Doctor ideo à Hieronymo præscientiæ Prophetiam de solo libero arbitrio mentionem factam ad ea restrictam, de quibus non est prædestinatio per se loquendo. Additque merum nostrum non subiacere prædestinationi, nisi secundum quod est ex gratia, quæ à solo Deo est: unde id, quod ex nostro arbitrio est prædestinationi subesse dicitur, per accidens item. Non autem excedit præscientia prædestinationem in malis solum (quæ, nec per accidens prædestinationi subsum) si prædestinatio stricte accipitur sed etiam in omnibus bonis, quæ non sunt sola virtute divina: insuper distinguit duplicem modum præficienti futurum eorumque ordinem ad effectum. Alterum immediate in seipso intuendo effectum futurum: subditque sed Deus non solum cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam quantum ad ipsum exitum, vel executionem ordinis: cuius ratio est: quia eius intuitus æternitate mensuratur &c. Hoc autem creaturæ impossibile est, cuius intuitus limitatur ad aliquod tempus: subdit autem pro priori modo non tam futura, quam causas præfientes, & earum ordinationem cognoscei, (ut repetit ad 2. vbi concludit, & sic remanent solius Dei proprium vere scire futura) unde ait Prophetiam comminationis peti ex cognitione

one causarum ordinarum: & eatenus habere certam veritatem absolutam; non autem quatenus euentum indirecte significat. Prophetiam vero præscientie peti ex euentus, quem directe significat, cognitione: quare, si hic in seipso absolute ster, prophetia huius veritatem non stare: ex quibus constat Deum independentem à cognitione causarum ordinarum, & decreto suo, quæ præcipua eius causa & ordinatio est, futurum in seipso cognoscere: imo cognitionem eius in causis ordinatis proprie non futuri, sed causarum ordinarum cognitionem esse, nec propriam Dei de futuro cognitionem, nisi quatenus futurum in seipso cognoscitur. Postrema hæc testimonij pars contra aliam partem doctrinæ aduersariorum de necessaria Dei cognitione futuri, tum absoluti, quam conditionati, dependenter ab actuali Dei decreto aperto Marte directe pugnat: sicut plura alia, quæ ex eodem S. Thom. d. sequenti suis locis proferemus: sed omittenda hic non fuit, quia eius testimonij contra præsentem etiam conclusionem inducti pars erat, quæque eius abusum contra nostram doctrinam aperte monstraret.

6. Plura alia ex Augustino, & S. Thom. haud maiori fructu contra scientiam conditionatorum contingentium independentem à decreto, ac proinde mediam, opponunt: quæ, quia hoc punctum directe non oppugnant, suo loco, nimirum controu. 3. opponenda, ac diluenda erunt: ubi quidquid in eis indirecte, ac præsuppositiue præsentem nostram sententiam impugnet, simul diluetur. Atque ob eandem rationem alia, quæ à ratione conclusionem illam de scientia absolutorum independentem ab actuali Dei decreto directo impugnant, omitemus hic, sicut indirecte conditionatorum contingentium futuritionis independentem à decreto actuali Dei de ipsa consistentiam impugnant.

CERTAMEN X.

Oppositiones à ratione eneruantur.

1. Sed opponunt directe contra hanc à ratione: implicat transitus contingentis creati à statu possibilitatis ad alium quempiam eiusdem contingentis statum absolute Dei decreto actuali de eo statu, in quem transit; atque qui status futuritionis conditionatæ alius est contingentis creati à statu possibilitatis contingentis eiusdem: ergo implicat contingentis creati transitus à statu possibilitatis ad statum conditionatæ futuritionis absolute Dei actuali decreto de statu illo conditionato futuritionis. Maior probatur primo à priori: quia implicat contingentis creatum extrahi à statu possibilitatis, & poni in statu alio à possibilitate sine dependentia à Deo: poneretur autem in eo statu conditionato, extrahereturque à statu possibilitatis ad illum contingentis non pro illo dependeret in sui conditionata futuritione à decreto actuali Dei. Probatur secundo: quia ideo solum ob necessariam dependentiam contingentis creati à Deo nequit à statu possibilitatis extrahi contingentis ad statum absolutum, in eoque poni absolute actuali Dei decreto: atqui non minus est dependens à Deo contingentis creatum in statu conditionato magisque potest dependentiam essentialem sui à Deo exuere, quam in absoluto: ergo nec potest extrahi à statu possibilitatis ad statum conditionatum, in eoque collocari absolute actuali Dei decreto de conditionata futuritione ipsius.

2. Responderetur hoc argumentum nihil ad illationem assumere in antecedenti non aperte falsum in sensu obiectantibus ad inferendum proficuo. Maior est aperte falsa, si sit vniuersaliter de statu omni ultra statum possibilitatis, ut conditionatum etiam comprehendit: primo enim falso supponit probandum: scilicet, ad statum conditionatum apponendum opus esse actuali Dei decreto. Secundo est falsa, ex alio quod implicatio supponit sic vniuersaliter accepta: scilicet statu pure conditionato contingentis extrahi à statu possibilitatis, ut iam ostendam in minori. Tertio est etiam aperte falsa, est duo præcedentia omittamus, ut sermo sit de decreto Dei actuali directe

tendente, & determinante efficaciter statum illum contingentis, in quem à possibilitate extrahitur, & adducitur, siue ille futuritionis conditionata, siue absolute sit; qui solum sensus proficuo aduersariis est ad decretum de futuritione conditionata contingentis inferendum: eo siquidem decreto determinato, ac determinante ad futuritionem alterutram contingentis ex illo necessario futuri contingentiam, & libertatem profus euerteret, ut de decreto futuritionis conditionatæ contingentis ostendimus, & de decreto futuritionis absolute ostendimus in sequentibus: atque insuper: quia actus prauos aliunde Deus nequit decernere: igitur ut contingens creatum à statu possibilitatis ad statum alium vere extrahatur, & vere transeat satis est decreto Dei non determinato, aut determinante proinde illud, sed indifferentem concurrendi siue offerente concursum ad voluntatis arbitrium; à qua est determinandum: decretum autem aliud ad apponendum prærequisitum ad contingentis opus non est, ut actu præcedat ad futuritionem conditionatam ipsius v.g. decretum vocationis, seu conditionis alterius purificarium; sed satis est poni, aut supponi in hypothesi, aut pro conditione, saltem implicita, ut aduersarij fatentur; nemoque sanæ mentis potest inficiari: cum enim decretum purificarium conditionis eam in statu absoluto deuoluit: eaque absolute posita conditionatum necessario transeat in absolutum: nullum contingentis conditionatum esset, quod subinde absolutum non foret: quod contra scripturam, Augustinum, ac reliquos Patres est, qui de futuris conditionatis egerunt: etenim fides, & conuersio Tyrriorum, & Sidoriorum conditionata solum, nec absoluta manifeste conuincit. Iam maioris eiusdem probationis nihil aliud quam decretum actuale Dei concurrendi ad vtrumlibet pro voluntatis arbitrio, ut vere transeat contingentis à statu possibilitatis ad statum alium probat; eo enim solum saluatur dependentia actualis creaturæ extractæ à possibilitatis statu.

3. Quod autem in minori probationis primæ à priori ponendum independentem à Deo in statu conditionato contingentis, si actuale Dei decretum supponat, adhuc de decreto actuali indifferentem concurrendi est de se falsum, & ratione eius, quod videretur supponere: scilicet poni actu conditionatum in statu conditionato extra statum possibilitatis. Non enim est status per quem formaliter contingens actu ponatur, sed per quem poneretur, si conditio adesset, & quia, cum non sit status actualis, quo extra possibilitatem ponatur contingentis, sed futuritionis suspensæ à positione conditionis, quæ, ut in hypothesi posita absolute non est, satis est, si Dei decretum in eadem hypothesi ponatur, siue explicite, siue implicite ut diximus: ad dependentiam quippe absolutam effectus à causa prima, actuale Dei decretum requiritur; non autem ad eam, quæ absoluta non est, ut patet in effectu possibilitatis. Absoluta autem dependentia eius tantum est, esseque potest, quod actu & absolute est; non autem, quæ solum suspensæ est, seu esset, si conditio poneretur. Secunda probatio eiusdem maioris, ex nunc dictis euanciscit. Nam futurum absolutum habet, seu habebit, statum absolute existentis pro sua duratione, ac proinde actualem Dei, & absolutam dependentiam à Deo, quæ, nisi per actuale Dei decretum concurrendi cum causa libera ab æterno (ob Dei immutabilitatem, & propriam diuinitatem) à Deo conceptum esse non potest; ac proinde, si absolute actuali Dei decreto (non Thomistice quod aduersarij supponunt; sed indifferentem concurrendi) contingentis esset absolute futurum, esset independentem à Deo: inde vero ad statum conditionatæ futuritionis, in quo contingentis actuale aliquod, & absolutum esse non habet, quare neque absoluta & actuali dependentia pro eo statu opus habet, actuale Dei decretum non licet inferre, ut proportionate ad illum dependens à Deo ponatur; sed satis est poni Dei decretum in hypothesi, & ex parte conditionis, saltem implicite, ut dependentiam habeat à Deo in eo statu, sicut habet esse, suspensæ nimirum, & quæ foret, si conditio adhiberetur.

4. Inde etiam constat minoris primi syllogismi inutilitas ad inferendum: est enim status alius sit status conditionatæ futuritionis à statu possibilitatis: non est autem status ad quem contingentis extrahitur actu à statu possibilitatis.